

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Societas x
cum fontibus primis

Nullius rei sine socio
iocunda est possessio.

Si cum hac exceptione detur sapientia, ut
illam inclusam teneam nec enuntiem,
reiciam:

nullius boni sine socio
iucunda possessio est.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 6, 4 (L. Reynolds ed., vol.1, p.10, ll.25-27).

Non magis utilitati est ager
cum redditibus amplis quam uicinus
equalis cum moribus bonis.

Ilicet si horreis apothecisque seu penu
impleta destinas illic usque ad aduentum
hirundineum uel ciconinum Iani
Numaeque ninguidos menses in otio
fuliginoso siue tunicata quiete
transmittere, nobis quoque parum in
oppido fructuosae protinus
amputabuntur causae morarum, ut, dum
ipse nimirum frueris rure, nos te
fruamur, quibus, ut recognoscis,
non magis cordi est aut uoluptati ager
cum redditibus amplis quam uicinus
aequalis cum bonis moribus.

Sidonius Apollinaris, *Epistularum libri nouem*, 2, 14, 2 (A. Loyen ed., vol.2, p.79).

Sit tibi erga singulos salsi libra
sermonis ut te blandum
pueri, comitem iuuenes, grauem senes
meciantur.

Seneca in epistola.

Quae salsi erga singulos libra
sermonis! Quam te blandum
pueri, comem iuuenes, grauem senes
metiebantur!

Sidonius Apollinaris, *Epistularum libri nouem*, 3, 2, 1 (A. Loyen ed., vol.2, p.84).